DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

PLEURITIDE.

QUAM

Annuente Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI BOERHAAVE,
A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,
HUJUSQUE ET BOTANICES IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Publico ac solenni Examini submittit

JOHANNES COCQUELLE. Mediob. Zeelandus.

Ad diem 11. *Octobr.* 1714. *hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ISAACUM SEVERINUM. Bibliopolam.

D. D. ANTONIO COCQUELLE,
IN URBE MEDIOBURGENSI MERCATORI CELEBRI, FRATRI NATU MAXIMO, EX INTIMO CORDE, AD ULTIMUM USQUE ROGUM, FRATERNO SEMPER AMORE COLENDO, ÆSTIMANDO.

D. D. ABRAHAMO COCQUELLE,
IN URBE EADEM MERCATORI EXIMIO, FATRI HONORATISSIMO, SUMMO ANIMI CONATU, AD ULTIMUM VITÆ TERMINUM, AMANDO, VENERANDO.

Hanc Diſputationem eo, quo par eſt, obſequio

D. D. D.

JOH. COCQUELLE. Author.



DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

DE PLEURITIDE.

CAP. I.

§. I.



Leuritis est dolor punctorius circa costas, cum respiratione difficili, tussi crebrâ, humida vel sicca, febre continuâ acutâ, pulsu duro.

§. II.

Nomen habet a loco quem occupat, membranâ scilicet pleurâ, quæ an sola infecta sit, postea inquiretur.

§. III.

Ob varia quæ secum fert symptomata, varium locum quem occupat, varias causas, & similes circumstantias, varias quoque apud authores accepit denominationes, unde dicitur Pleuritis humida, vel

 sicca,

ſicca, bilioſa, vel ſanguinolenta, vera vel notha, idiopathica vel ſympathica, ſporadica, vel epidemica: oritur quoque pleuritis, vel a cauſa quadam manifeſta, vel ab aëris incognita & venenata quadam diſpoſitione; quæ diviſio quamvis pluribus neglecta ſcriptoribus medicis, Hippocrati tamen & Sydenhamio quam-accuratiſſime obſervata, & caſtiſſime tradita, ſola baſis, & una methodus exiſtit, quâ ex arte tractetur atrociſſimus hicce morbus: ordinis vero gratiâ triplicem hicce conſidero pleuritidem, 1. Idiopathicam, ſive a cauſa nota manifeſta oriundam. 2. Sympathicam, ſive ex alio morbo natam. 3. Epidemicam ſive ex incognitâ aëris diſpoſitione ortam: ad has enim ſpecies reliquæ facile deducuntur.

§. IV.

Prima igitur pleuritis oritur, quotieſcunque cauſa quædam externa producit inflammationem in membrana pleuræ. Secunda ſpecies orietur, quoties morbi cauſa continens determinata ad pleuram idem efficit. Epidemica vero continget pleuritis, quoties in aëre latet ea poteſtas, quæ præciſe afficiendo membranam pleuræ eundem morbum cum pluribus hominibus ſimul degentibus communicat, cujus hæc ſequens fere hiſtoria.

Ingreditur fere omni anni tempore, ſed tamen potiſſimum inter ver & æſtatem; aggreditur præ reliquis temperamento ſanguineo præditos, & juxta Hippocratem nunquam vel raro illos ante pubertatem, ſæpe etiam ruſticos, & quibus dura jam membra ſunt fracta labore, ſed juxta Hippocratem raro illos qui acidum eructant; incipit cum horrore & rigore, & obſervavit Vir celeberrimus Boerhave ante aliquot annos in Pleuritide epidemica, certiſſimum præſagium invaſuræ pleuritidis fuiſſe, ingentem famem, ante omnia ſymptomata, quæ adeo tunc erat illis hominibus nota, ut, dum viderent aliquem hac obrui, eum monerent, jam curaret pleuritidem, certo certius mox invaſuram, quod quam optime tunc ſucceſſit; deinde debilitantur, & laſſi fiunt, incipit tunc calor, ſitis, inquietudo, & febris omnia ſymptomata, poſt paucas horas dolor ingens punctorius occupat pectus circa coſtas, qui nunc verſus homoplatam, nunc verſus dorſi ſpinam, nunc e contra verſus anteriora, propagatur, tuſſicula nunc eſt arida, nunc & quidem frequenter, cum liquidis excrementis, primo ſpumoſis, tunc ſanguineis particulis intermiſtis, vel Juxta Hippocratem, nunc rejicit ſubbilioſa, colorem mali punici referentia, niſi quid intus ruptum fuerit, tunc enim ſanguinem poſt eruptionem evomunt, hæcque

que ſubcruenta Hippocrati, ſi poſt flavedinem ſanguis intermiſceatur; dein ſputa quoque fiunt ſanioſa, decubitus in latus inflammatum nunc eſt facilis, in oppoſitam vero ſi æger decumbat partem, ingentem nunc percipit dolorem, nunc minus doloris percipit, ſi in oppoſitam partem decumbat, nunc in quodcunque latus ſe convertat, dolore tamen urgetur ingenti; lateralis vero in dorſo morbus, hoc aliis præſtat, dorſum velut ex plaga dolor occupat, ingemeſcit, confertim reſpirat, confertim pauca exſpuit, & corpus laſſitudine vexatur, febris interea pari paſſu procedit, augetur ratione ſymptomatum, quæ ab ipſa ſequuntur, ſi vero liberior expectoretur materies, tunc eá ratione minuitur ſenſim, ſi vero non concoquatur materies, ſed tenuis & cruda maneat, ut in morbi principio, tunc febris aucta cum ſuis ſymptomatibus ægrum ferè occidit; alvus vero interea nunc eſt nimis adſtricta, nunc verò laxa nimis; interdum contingit, ubi morbus admodum invaluit, & nulla V. S. fuit celebrata, quod æger ne quidem valeat tuſſire, ſed immani laborans dyſpnæâ, fere ſuffocetur, quæ dyſpnæa aliquando tanta eſt, ut ne quidem ad debitum ſpatium pectus expandere audeat; ob dolorem atrociſſimum oriuntur vigiliæ, ciborum faſtidium, malarum rubor, tuſſis arida, linguæ ſiccitas & aſperitas, morbo vero in pejus vergente, ſequitur alvi fluor ſpumoſus, urina frequenter & paucâ copiâ, & alba emittitur; fit pulſus denſior, celer, fortis, quaſi tactum ſerrans, ſed aliquando ſummopere fallens, dum doloris metu ſe ſuffocat æger, continendo pectus ambobus brachiis ne dilatetur, & ſic pulmoni expanſionem impedit, adeoque ſanguinem in pulmone ſiſtit, hinc pulſus ſe non prodit, quia cor ſiniſtrum paucum ſanguinem recipit; reſpiratio quammaxime dolens, parva, ſæpe repetita, vultus & thoracis roſcida humectatio, mentis alienatio ſive delirium, aliquando occupantur comate, & in gravem ſoporem incidunt, gutturis oritur ſtridor, vel ſonus interius reſonans in ea qua patitur parte; rejiciuntur quoque accepta per Vomitum, jacendi negata atque diſplicens omnis eſt poſitio, ſumma cum inquiètudine, corporiſque jactatione; ſputa per omnes gradus coloris deviant a naturâ, & tandem nigreſcunt, imo morbi vehementia vaſculis ruptis ipſe ſanguis ore rejicitur; aliquando poſt ingentem inflammationem & omiſſam V. S. ſi die ſeptimo aut nono, aut undecimo ſanus non fuerit, abit in ſuppurationem, unde pure intra cavitatem pectoris effuſo, quamvis febris & omnia ejus fere ſymptomata ſublata ſint, poſtea tamen cauſa mortis naſcitur; ultimo cogente pericu-

lo fit celerrima respiratio, præcordiorum suspensa adductio, pulsus inordinatus aut deficiens, unde tandem peripneumoniâ moritur.

Cap. II.

§. I.

Signum diagnosticum pleuritidis nullum datur: sed signa plura simul, sequentia docent, an sit pleuritis in ægro & qualis:

1. Igitur si dolor sit circa costas, sed punctorius; 2. Si respiratio sit difficilis, dolorem magis augens inspirando, minuens vero exspirando, vel in retentione animi; 3. Cum tussi vel aridâ, vel humidâ; 4. Si pulsus sit durus & serratus, (excepto eo casu quem ante monui); 5. Si adsit febris acuta continua; hæc quinque symptomata simul collecta menti imprimunt ideam pleuritidis, sed veræ, a quacunque causa oriundæ: an vero sit Idiopathica & Sporadica, noscitur, ex anni tempestate, causa prægressa, sexu, ætate; Symptomatica noscitur ex morbo prægresso, causis prægressis, anni tempore, ætate vitæ, & sexu.

Epidemica cognoscitur ex sola anni constitutione.

§. II.

Accidunt tamen quædam adhuc in humano corpore phænomena, quæ non nisi ab artis perito, a vera pleuritide distinguuntur, qualia præcipua sunt, dolor lateris, (pleuritis notha dicta) abscessus lateris, vomica, dyspnæa, coryza, asthma: conveniunt enim hæc omnia in uno cum symptomatibus, in vera pleuritide traditis, sic vero distinguuntur: in pleuritide notha, nulla adest febris, nullum sputum, dolor plerumque est vagus, quamvis diuturnus; in abscessu lateris febris adest, dolor circa costas, & sputi rejectio, & respiratio difficilis, at vero sic dignoscitur; febris non est adeò acuta, sed lenta, inordinata, cum horri-pilationibus & horroribus vagis, pulsus non est serratus, durus, sed undosus, dein eo tempore quo pus fit, sputa ejiciuntur, non amplius varia, sed unius generis, & sæpe quoque puris eminens collectio sentitur, quibus si tempus & causæ prægressæ addantur, dant certam morbi diagnosin: à Vomica distinguitur, quod solummodo sit gravitas in pectore cum respiratione difficili; à reliquis dignoscitur, dolore, febre, & celeritate, quibus si addun-

tur

tur causæ antecedentes, habetur clara & intima morbi idea & indoles.

§. III.

Morbi nonnulli acuti in omnibus cum pleuritide conveniunt, loco & inde dependentibus symptomatibus exceptis, ita vero distinguuntur: si locus effectus sit diaphragma, tunc dolor sentitur ad extremum costarum, ad finem sterni, ventri pars ubi diaphragma est turget, & delirium adest.

Si mediastinum inflammetur, dolor non sentitur ad costas, nec dolor adeo extensus est.

Hepate inflammato, dolor sentitur in dextro plerumque latere, circa Hypochondria, non tamen pungens, sed gravans, percipitur quoque tumor infra costas nothas; pulsus est undosus, tussis minor & sicca, & minor respirandi difficultas, & si contingat hepar magnam partem inflammari, tunc urina fit citrina, & corporis color ictericius.

In peripneumonia dolor est gravativus, sed non pungens, nec in latere, at vero in pectoris medio, major est respirandi difficultas, nec nisi erecta cervice perficitur, pulsus autem & undosus & laxus.

CAP. III.

§. I.

Locus affectus in pleuritide, est pleuræ membrana; sub costis enim, dorso, & internis pectoris, ad jugula usque, tenuis membrana robustaque ossibus inhærens substrata est, cui nomen succingens inditum est, in hac cum phlegmone oritur, ignis adest, cum tussi, & sputis variis pleuritis morbus iste appellatur: hæc verba vetustis-simi fere authoris Aretæi Cappadocis in descriptione hujus morbi; maximam interim moverunt difficultatem scriptores recentiores, an solâ inflammatâ pleurâ posset dici pleuritis, & efficere atrocissima illa symptomata, incitati summopere sectione cadaverum, qua didicere, plerumque post mortem pulmonem fuisse nunc inflammatum, nunc suppuratum, gangræna vel grumoso plane sanguine obrutum; summopere quoque a priori est probabile, per ratiocinium, ex Institutis medicis, & structura corporis humani petitum, quod inflammatâ pleurâ, ob dolorem suppressâ respiratione, & pectore immo-

immobili retento, pulmo quam citiſſime affici debeat, adeoque mortuo ægro nunc ſanguine grumoſo, nunc inflammatione &c., affectus reperiatur; hoc interim nihil facit ad pleuritidem qua pleuritis, ſufficit modo inflammetur illa membrana, quæ coſtas ſuccingens, pleura veteribus nominatur, illam autem poſſe inflammari, non tantum nos docet Theoria medica, ſed ſectio defunctorum tales nobis caſus exhibet quam clariſſimos.

Riverius libro 7. capite 2. inveniſſe ſe teſtatur, in multis defunctorum cadaveribus ſolam pleuram corruptam & putredine conſumptam fuiſſe. Bonetus in ſepulchreto anatomico libro 2, ſect: 4, obſ. 10, habet exemplum membranæ pleuræ lividæ & in gangrænam converſæ, certiſſima ſigna præcedentis inflammationis; & obſerv. 5, membrana pleuræ fuit reperta turgida, ſtagnante & accenſo ſanguine, & ibidem in additamentis membrana pleuræ intus fuit fere nigra reddita, & ſphacelo corrupta, & obſ. 16. pleura fuit ſiderata, & apud Williſium in capite de phrenitide, pleura quoque ſuppurata fuit.

An igitur tenuis illa membrana ſolummodo afficitur, an vero nonnullæ fibræ intercoſtales huic quam arctiſſime annexæ? videtur id affirmari per dolorem inſpiratione maxime auctum.

Cap. IV.

§. I.

Ex præcedentibus, ni fallar, ſatis ſuperque patuit, pleuritidem veram eſſe inflammationem in vaſis, membranam pleuram pervadentibus, ſi ergo quid ſit inflammatio, quænam ejus cauſa, tum remota tum proxima, quoſnam producat in corpore humano effectus, quinam varii ſunt ejusdem exitus, explicuero, & eadem hæc membranæ pleuræ applicavero, non difficile erit, quædam intelligere, ſi non omnia, ad curam, prognoſin hujus morbi, & cognoſcere, & prævidere, & bono cum fructu in actum deducere.

Inflammatio autem paſſim deſcribitur tumor præternaturalis, rubens, dolens, calens, renitens, pulſans, cui, ſi alicujus momenti ſit, accedit febris acuta continua: Sed vero potius liquoris in vaſe cujuſcunque locoque quovis ſtagnatio, urgente ſanguine a tergo, materiam obſtruentem, inflammationis indolem & ideam claram nobis exhibet.

Cauſa

Causa igitur proxima, seu ipsa inflammatio, continget, quoties liquor per vas fluere solitus, sistitur, ita ut transire nequeat, & subsecuturo humori viam intercludat, unde liquor a tergo vi cordis actus, a materia obstruente dum sistitur (i. e. repellitur), facit summam actionem & reactionem, attritum ad se invicem, ope cujus ignis elementalis omnibus experimentis idem, ac ignis unicuique eo nomine dictus, producens in corpore humano omnes eos effectus, quos ignis vulgaris: producitur, unde Græci inflammationem deduxere, a verbo φλέγω, ardeo, Latini optime quoque nomine flammæ hunc affectum designavere.

Causa prædisponens corpori inhærens est vel vitium vasorum vel vitium humorum; quoad vasa, si in aliquâ corporis parte ea naturaliter sunt talia, ut facilius humores sistant quam in aliâ parte, unde videmus quosdam homines obnoxios sæpe redeunti ophtalmiæ, sic si pleuræ arteriolæ sunt angustiores quam alterius hominis, ad quæ pertinet scirrhus, callus, & pulmo adnatus, estque inhærens causa unde facile morbus hic producatur: quoad sanguinem si sit lentus, spissus, inflammatorius, vel pure, ichore aliave quadam materiâ cacochymica imprægnatus.

Causæ remotæ omnis inflammationis petuntur ex sex rebus nonnaturalibus, vel ex quatuor rerum nonnaturalium classibus, inter quas primo occurrunt ingesta, copia vel qualitate peccantia, cibi, potus, aër, medicamenta, venena. 2. gesta, motus, quies corporis, somnus & vigiliæ. 3. retenta urinæ, alvi, sudoris sive perspirationis Sanctorii, & excreta nimiâ copiâ reddita, urinæ, sudoris, alvi, perspirationis insensibilis, seminis, &c. 4. quæ corpori applicantur v. gr. aër, vapor, fomentum, balneum, vestis, linimentum, unguentum, emplastrum, vulnus, contusio, erosio: omnes dictæ causæ, ex institutis medicis desumptæ, quæ ibi explicatæ & demonstratæ habentur, possunt efficere, ut vel ad humores vel ad vasa, vel ad utraque simul nascatur in corpore talis dispositio, unde sistuntur humores in quacunque corporis parte, sicque oriatur inflammatio, quæ si contingat in pleurâ membrana, nomine pleuritidis designatur.

Omnis tamen causa harum agit, vel in vasa vel humores. Vas vero redditur ineptum ad transmittendum, quod fit dum nimis arctatur & angustatur ab una præcedentium causarum, sic ligatura, compressio, ictus, nimia extensio, frigus aëris ingens, nimium vasorum robur,

 stimulantia

ſtimulantia idem efficiunt, vel ſecundo, ſi vas initio ampliatur ita ut globuli ſanguinei intrantes tranſire nequeant, quod fit vel a vaſorum nimiâ laxitate vel liquorum nimio impetu, unde calor nimius & motus ingens, item vaſorum laxitas hoc efficiunt, quo fomenta & balnea referuntur: humores vero redduntur inepti, ſi ſint craſſi, ſpiſſi, inflammatorii, quod fit, ſi aqua eorum exhalet, oleum tenue, & ſal avolet, oleum craſſum cum terrâ mutetur in irreſolubilem fere materiem, quo pertinent omnes excretiones nimiæ, ſudoris, perſpiationis ſanctorianæ. urinæ, æſtus ingens, motus nimius, cibi acres, potus inopia, regio calida, & ſimilia ad inflammationem in genere excitandam (ergo pleuritidem in ſpecie) apta nata; ſed huc uſque modo foret obſtructio, cauſa vero urgens materiam obſtruentem & producens omnia in phlegmone ſymptomata, eſt cordis & arteriarum reciproca actio, ſanguinem propellens & in hunc locum adigens.

Sit itaque homo perfecte ſanus, per xxiv. horas plures, pauciores, magno ſe applicans labori, tunc per illum motum vaſorum in humores, & humorum in vaſa producitur major actio, hinc humorum attenuatio, vaſorum detritus, major humorum tenuium redditorum per excretoria lateralia, expreſſio, & reliquorum major inſpiſſatio, unde prima diſpoſitio ad diatheſin inflammatoriam, hinc difficilior per minora Vaſa tranſitus, glutinoſitas ſed inflammatoria ſenſim aucta, ſitis ingentis una cauſa; ſed aucto motu, conſolidatis & compactis quaſi magis humoribus, vaſa quoque magis compinguntur & conſolidantur, &, quia vaſcula quæ perreptant eorum membranas comprimuntur, hinc rigidiora fiunt, unde major nixus, renixus, adeoque ingens naſcitur attritus, hinc omnia removentur quæ ſunt in ſphæra hujus activitatis, ſi non poſſunt celerem hunc motum ſequi remanente (pro gradu motus celeris, preſſione ingenti ad ſe invicem, & ſoliditate corporum motorum,) ſolâ materiâ ſubtiliſſimâ, penetrantiſſimâ, mobiliſſimâ, i. e. igne elementali, ſuâ indole ſpontaneâ producente effectus mox memorandos.

Eodem autem tempore, quo humores celerius per vaſa feruntur, & attenuantur etiam, ſicut ad excretoria cutis & alia, applicantur quoque ſæpius & majori vi ad vaſa cerebri & cerebelli, unde ſpiritus animales & vitales majori copia & motu feruntur ad cor, arterias & pulmones, & quoque ad membra voluntati ſubjecta, unde tantus impetus vaſorum in humores aliquamdiu permanet, vix ſentiente homine, licet

multa

multa eaque optima perdat assiduo, quare sanguinis circulus continuo adhuc augetur, omnia igitur quoque memorata symptomata, donec consumptis spiritibus, omni sanguinis tenuissimo expulso, homo volens nolens delassetur & fatigetur summopere, sed quoque simul ab iisdem dictis causis sanguini inducitur acrimonia alcalina, quamvis levissima.

Sanguis sic glutinosus inflammatorius, omni fere tenui aquoso spoliatus, & incipiente acrimonia oneratus, in homine profert dispositionem qua siti vexatur, unde instinctu naturali potum concupiscit, sed ob æstum plerumque gelidum sibi comparat; sed quia omnis sanguis semel transit per pulmones eo spatio temporis quo reliquum totum corpus perambulát, hinc ibi loci maximus effectus caloris sentitur; quo accedit Vicinitas causæ moventi nempe cordi, unde motu quasi automatico aërem frigidum undique captat & quam libentissime pulmonibus haurit, quiescens jam ob jacturam virium, & summam debilitatem: His positis bibat ergo talis homo gelidum, statim ac pervenit frigus ad æsophagum, constringuntur vasa, accedente aëre frigido quem halitu haurit & corpori applicat denudato, unde vasa pectoris interne externe valde quoque angustantur, & constringuntur, interim eo momento tanta sanguinis copia non fertur ad cor, motus quippe muscularis suspenditur, hinc eo tempore cor sanguinem tanta vi non agit in sua vasa, hinc vasa diutius & fortius in nixu contractionis manent, quam si statim tanto impetu expanderentur.

Nonne hinc patet ratio quare homo gelidum potans dum in summo æstu versetur, manens in perpetuo motu minus sentiat inde incommodi quam si quiescat statim? pro variis jam circumstantiis, sexu, ætate, temperie &c. orietur nunc angina, nunc peripneumonia, pleuritis & alii morbi, statim & quidem eo momento quo vasa ab impetu sanguinis dilatata, a causa externa tam valide angustantur; sanguis lentus; & spissus, minori jam parum impetu actus sistitur, cessat motus & attritus, turbatur circulatio, oritur horror, i: e: levis refrigeratio, mox deinde oritur febris, sanguis enim in arteriis stagnat, hinc illæ arteriæ redduntur ineptæ, quæ sanguinem reliquum transmittant, venæ autem ex his arteriis oriundæ sanguinem suum ad cor deferunt, novum interim sanguinem non recipiunt, hinc collabuntur, sanguinis quoque circulo non obediunt, minor hinc nascitur proportio vasorum respectu humorum, quare inopia vasorum debet compensari motus celeritate, i. e. febris oriri.

 San-

Sanguis igitur celerius redit ad cor, celerius expellitur ex corde, celerius per omnia vafa fertur, ergo quoque per cerebrum & cerebellum, fpiritus ergo qui fanguini adhuc infunt majori rurfus copia fecernuntur, & ad cor deferuntur, hinc duplex rurfus caufa cur cor celerius contrahatur, ubi tamen magna adeft refiftentia ad locum obftructum, febris igitur aderit, fed continua, eft enim effectus caufæ perpetuæ, fed acuta, id eft cito crefcet, cito perveniet ad ftatum, cito folvetur vel crifi bonâ vel morte, propter enim obftructionem omnia ftatim de momento in momentum augentur ita, ut cito vel refolvatur, vel fanguinis circulus plane fiftatur.

Confideremus enim locum affectum adeo cordi vicinum, vaforum fitum & ftructuram, quippe per quæ fanguinis circulus fit citiffimus, per arterias intercoftales ex corde, per venam azugon mox iterum in cor, hæc inquam nos docebunt, quod ibi loci (ficut & in ftatu naturali) fic in morbofo debeat effe circulus & impetus quam maximus, a quo vafa hæc tenerrima quam citiffime rumpuntur, & plane locus deftruitur.

Sanguis igitur expulfa magna copia humoris tenuis, tanto cum impetu corde pulfus, per arterias quam celerrime latus, occurrens loco obftructo, magna vi in eum impingit, hinc materiam magis compingit, (fi non ftatim refolvatur) magifque tenacem reddit obftructionis, hinc ibi fiftitur, & per lateralia omne tenue expellitur, craffum ibi condenfatur, in arteriarum anguftias quam fortiffime adigitur, cum materia ulterius propelli non poteft, urgente tamen a tergo reliquo fanguine, impetus omnis redundat in vafis latera, quæ expanduntur, tument & vicina comprimendo circulo quoque inutilia reddunt, hinc quoque plures venæ collabuntur, unde obftructio fenfim augetur cum omnibus inde fequentibus, vafis ita expanfis, expanduntur impetu membranæ, & elongantur nervi, unde doloris fenfus imprimitur menti quam exactiffimus, ob membranæ tenuitatem & nervorum copiam, hinc vafis magis magifque minutis, fanguis celerius ad cor redit, continuo major majorque fit febris, materia obftruens magis compingitur; fanguis magis lentus fit, & cordis impetus augetur, & celeritas contractionis, unde a tribus caufis fit maximus attritus, eo validior quia corpora atterenda fint folidiora, vis atterens major, & celeriores ictus reciproci, hinc ignis verus per totum corpus, fed maxime in loco affecto colligitur.

Jam

Jam vero juxta experimenta chemica examinemus quid ſanguini accidat humano, ſi ignis actioni applicetur, in initio omnis quæ ad huc ad eſt aqua fere inſipida nullum ſignum Salis Alcalini vel acidi præbens exhalabit, tunc omne oleum tenue, fiet volatile, extricabitur a reliquis ſuis principiis, ſal tunc ab oleo ſuo ſpoliatum, & ignis actionem vehementiorem recipiens fiet acre mutatur (potius vergit ad naturam alcalinam) fit volatile, oleum reliquum cum terra abit in maſſam ſpiſſam, lentam.

Hinc patet quare dantur pleuritides ſæpe uno, duobus diebus necantes: quare ſæpe in gangrænam abeunt citiſſimam: cur vero nunc ad duodecimum, vigeſimum diem extendantur.

Scitur quoque, cur robuſtis & exercitatis ille morbus ſit adeo pernicioſus, contra debilibus, fæminis, & pueris.

Noſcitur quoque, quid ſit in morbis acutis tantus æſtus, maxime circa præcordia, & quid denotet, quid frigus ad extrema & cur adeo lethale in eo caſu.

Hinc quoque, qui acidum eructant, raro pleuritide, & morbo ullo acuto laborant, quod docent præcedentes paginæ.

§. II.

Si pleuritis ſit epidemica tunc oriuntur fere ea omnia ſymptomata quæ a cauſa externa, per vim peſtilentialem venenatam, nunc citius, nunc ſerius typum abſolventem.

Docet tamen experientia, non eſſe impoſſibile, dari ſpecificum, quod hunc morbum, dum infieri eſt, uno momento tollit, reliquis omnibus fruſtra tentandis, ſed quale id eſt? Varium, difficile cognitu, an unquam idem?

Id tamen præ reliquis habet ſingulare, quod primis diebus certo omnes necet, poſterius plures evadant, ultimo nemo moriatur, omnibus iisdem tentatis & in initio & in medio & in fine, prout accepi ab iis qui caſibus interfuere.

§. III.

Pleuritis ſymptomatica, nunc conſiſtit in ſpasmo, nunc ex acrimonia humorum, nunc ex vera quoque imflammatione orirur, ut patet in paſſione hyſterica, ſcorbuto, & febre acutâ.

 CAP

Cap. V.

§. I.

Omnis pleuritis abit vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel in mortem.

§. II.

In Sanitatem, ſi reſolvatur benigne, vel per excretionem mali, ſive ſolâ naturâ, ſive artis ope.

§. III.

Excernitur materies morbi vel per largam hæmorragiam; ſive per nares, ſive per fluxum menſtruum, vel hæmorrhoidalem, 2. ſi tertio die facile exſpuat, lævia, æqualia, humida, rotunda; 3. per alvum, ſi illa biliosa exturbetur; 4. per urinæ ingentem fluxum.

§. IV.

Quibus in morbo laterali lingua circa initia bilioſa eſt, ii intra ſeptem dies judicantur; quibus vero 3. ac 4. die, circa nonum. Hipp: coac: ſec: 2. §. 383.

§. V.

In morbo laterali affectis, dolores & alvum emolliri utile eſt, ſputa colorari, nullos in pectore, ſtrepitus fieri, urinam rite procedere: ibid. §. 386.

§. VI.

Sputum ſi in morbo laterali, matureſcere & exſpui 3. die cæperit, celeres fiunt ſolutiones ibid.

Bilioſi

§. VII.

Biliosi simul & sanguinei morbi laterales, fere nono die aut undecimo die judicantur ac maxime servantur, quod si bis septem evaserint servantur: ibid.

§. VIII.

In omnibus autem laterum morbis & pulmonis, sputum prompte ac cito excreari, necesse est, flavumque sputo permistum esse; & flavum cui paucum sanguinis permistum est, dolorem tollit; ibid.

§. IX.

Sputum quodcunque dolorem tollens, bonum est.

§. X.

Per artem si rite tractetur facile sanatur, & quidem non minus certo & constanter, quam alii morbi. Sydenhamius.

§. XI.

In alium morbum abit, & 1. in phrenitidem si dolor lateris cum bilioso sputo, præter rationem evanescens, ægrum in vehementem & furiosam mentis emotionem agat. aphor. 418. coacis.

§. XII.

Lateris citra inflammationem affecti, cum turbulentis, tenuibus, moderatis, in phrenitidem labuntur: ibid.

§. XIII.

In peripucumoniam si abeat, malum est.

§. XIV.

In suppurationem abit lateris dolor cum diuturna febre, puris enim eductionem fore denotat coacis §. 421.

Qui

§. XV.

Qui subinde horrore corripiuntur ad suppurationem deveniunt, quin etiam febris talem ducit ad suppurationem aph. 422.

§. XVI.

Qui pleuritide laborant, nisi intra dies 14. superne repurgentur, iis in empyema fit mali translatio sect. 5. aph. 8.

§. XVII.

Qui 7. aut 9. aut 10. die sanus non fuerit, pus intus colligere incipit, libro 4. de morbis.

§. XVIII.

Ad lateris dolorem insuper accedente strangulatu, suppurationis futuræ spes est coacis §. 113.

§. XIX.

In gangrænam & sphacelum mutatam pleuritidem, docuit sectio cadaverum, apud Bonetum libro 2. sect. 4. observ. 22.

§. XX.

In mortem abit, 1. si superveniente peripneumoniâ, omnis sanguis in pulmonibus sistitur. 2. si gangræna communicetur partibus vitalibus. vel 3. si summa acrimonia humorum, prima cerebelli & vitæ stamina destruit. vel 4. si ingenti suppuratione homo plane consumitur. vel 5. si pus in Empyemate pulmones conprimat.

§. XXI.

Quibus confestim exsputiones cujusvis sunt generis, & dolores admodum acuti, ii tertio die moriuntur libro 2. de morbis.

Densa

§. XXII.

Densa exercitataque corpora ex morbo laterali citius intereunt, quam quæ sine exercitatione degunt Hipp. coacis aph. 398.

§. XXIII.

In dolore lateris sanguinis stillatio mala.

§. XXIV.

Qui in morbo laterali sputa rejiciunt purulenta aliquantulum biliosa, rotunda aut purulenta, aliquantulum cruenta, iis temporis progressu periculum creatur; perniciem etiam denunciant sputa nigra, fuliginosa, aut quibus qualia ex vino nigro fiunt §. 407.

§. XXV.

In laterum doloribus urina cruenta, obscura cum eo quod subsidet vario, & indiscreto, utplurimum in quatuordecim diebus mortem adfert; laterum quoque doloribus affectis in propinquo mortem adesse significat, quæ viridis nigrum habet sedimentum, aut furfuribus simile §. 581.

§. XXVI.

Quibus cum febre, lateris dolore accedente, alvus aquosa, multâ bile permista transmittens, allevationem adfert, dein vero cibos aversantur, & sudoribus diffluunt cum bene colorata facie, & humescente alvo, & dolor aliquis oris ventriculi accedat, ii diutius morbum trahentes, pulmonum vitiis laborantium more intereunt.

§. XXVII.

Pleuritis cruenta, est & gravis, & vehemens, & lethalis. Hipp. de morbis.

C Si

§. XXVIII.

Si mulieri prægnanti accedat pleuritis, lethalis: Hipp. de morbis.

§. XXIX.

In morbo laterali alvus perturbata mala est, libro 1. de morbis.

§. XXX.

Pleuritis post alium diuturnum morbum plerumque lethalis.

§. XXXI.

Quibus in morbo laterali, plurimus ex sputo strepitus sonat in pectore, & vultus demissus est, oculusque aurigine suffusus, & obductus caligine, in his mors exspectanda.

§. XXXII.

Si graviter, ac cum anxietate ferat morbum, corpus afficiatur inæqualiter, thorax & venter urantur, extrema frigeant, alvi dejectiones, & sudores non bene se habeant, non dormiant, ardeant siti, nihil aut paucum, & cum magno conatu excernant, delirent, scepto afficiantur, lethale; urina tenuis & subtilis, lethalis.

§. XXXIII.

Mortis instantis signa sunt, si pulsus sit vermicularis, difficultas extrema anhelitus, frigidus halitus ex ore exeat, nares & auriculæ exsangues sint præ frigiditate, insuper sudor frigidus & madidus emanet, intensa frons sit, & urina ultro profluat, mens moveatur, alvus sponte non sentienti profluat, hæc quoque in limine mortem hærere, denotant.

§. XXXIV.

Pleuritis sympatica sequitur prognosin morbi unde orta.

Epide-

§. XXXV.

Epidemica pleuritis ſequitur prognoſin, ex more illius anni petitam.

Cap. VI.

Cura Pleuritidis.

Naturæ morbis medentur. Natura ipſa ſibi, per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones obeundas invenit. Natura equidem a nullo edocta efficit ea quæ conveniunt, juxta obſervationes fideliſſimas Hippocratis, libro 6. ſect. 5. aphor. 1. de morbis vulgaribus, & aph. 2. ibid.

Medicus vero eſt θεραπευτὴς ſive miniſter naturæ, cui ſi inſerviat, & quam obedientiſſime ſe ſubmittat, tuto, & certo, tum morbi prognoſin tum curam ſæpiſſime invenire poteſt.

Qui itaque morbum ſanabit, in ſuo ægro non ſolum nomen morbi, & remedia illi morbo vulgo appropriata & laudata conſideret, & animo volvat, ſed id imprimis Medico ſagaci & arte Hippocratica digno ſemper eſt ſummopere proſequendum, ut juxta conſilium Galeni in libro de conſtit. art. Medicæ cap. 18. his duobus morbo inquam, ſed & natura, iisque colluctantibus animum ſemper intendat, atque dum diſcernit quodnam horum robuſtius ſit, primum quidem ſecum de ſalute hominis aut interitu præſagium depromat, dein vero, quo alterum altero fortius eſſe novit, tum & illius præfinitum tempus agnoſcit: tum facile inveniet remedia tuta, ſalutaria, in morbo unoquoque, in ægro ſingulo, quocunque in morbi ſtatu, cuicunque temperiei quam maxime accommodata.

Si videat tunc Medicus in ſuo ægro, morbo prævalere naturam, ex diſciplina vere Hippocratica Profeſſoris & Medici Patavini Proſperi Alpini, in præſagiendâ vitâ & morte, (quam diſciplinam quoque comprobavit, & ſummopere commendavit, Brittannorum ille Hippocrates, candidiſſimus & fideliſſimus obſervator Thomas Sydenhamius ſparſim in ſuis operibus, cujus vivum exemplum videre eſt in curâ, quam inſtituit in febre continua anni 1661. 1664. & aliis innumeris locis) tunc

ſpes eſt, naturam per ſe, ſuoque conſilio, hunc ægrum, hoſte inquilino liberare poſſe, quare nihil mutandum, nihil contrariandum huic, ſed & arte, & auxilio modo adjuvanda; hæc in genere omni morbo convenientia, & ſummopere utilia, in pleuritide quoque locum habere videbit is, qui ſequentia conſiderat.

Pleuritis ſanatur per reſolutionem benignam, vel per excretionem materiæ morboſæ.

Reſolutionem benignam exſpectabit Medicus, ſi humores ſint in ægro blandi, ſi ſanguinis circulantis impetus non ſit nimius, ſi vaſa non ſint nimis dura, rigida, ſi adhuc in ſanguine adſit copia humoris tenuis &c. tunc per omnia ſimul, quæ in corpore humano concurrunt ad conſervationem circuli ſanguinis i: e: vitæ, (quæque omnia Hippocrati una voce naturæ recitantur) id continget, ut materia ibi obſtruens, per copiam humorum tenuium penetretur, vaſa laxentur, amplientur, materia propellatur, vel & comminuatur & ſic deteratur, ut inſenſibiliter cum humoribus reliquis, ſine incommodo per omnia vaſa fluere poſſit.

V. S. igitur magna hic metuenda, tollit enim vires, per quas natura, malum vincere debet.

V. S. parva hic æque noxia, auget enim ſanguinis circulum, ſic & obſtructionem, & morbum ſponte ſanabilem longe reddit pejorem, quod idem exſpectandum ab omnibus excretionibus artificialibus: id autem Medico unum incumbit, ut naturæ viribus proſpiciat, ſive medicamentis ſive alimentis, mox memorandis.

Ponitur talis caſus ubi humores ſunt ſatis blandi, ſatisque adhuc dum circulationi apti, hinc ſola diæta, bono cum regimine, plurima præſtat, qualis diæta tenuis, mollis, parvâ copiâ ſæpe repetita, hinc aqua cui incocta ſunt leniſſima farinacea; notatum ſuperius eſt, circulationem humorum non multum deviare a naturâ, ſed ejus ope materiam morbi ſolvi inſenſibiliter, quare Medici ſemper cogitavere mox de medicamentis reſolventibus, qualia exhibuere ſalia volatilia, ſalia fixa alcalica, v. gr. abſinthii, cardui benedicti; alii adhibuere aromata vehementia, & ſummopere attenuantia, & ſanguinis circulum augentia, ea ſpe, ut vi & impetu deobſtrueretur locus affectus, quod aliquando optime ſucceſſit, unde illa habebantur titulo medicamentorum antipleuriticorum, qualia multa empiricis ſub eo titulo venduntur, & in uſum revocantur: alii ſucceſſu talium adhibitorum, vel monitu aliorum incitati, totam doctrinam Hippocraticam conati ſunt evertere,

tere, & ex arte Medica expugnare, deridentes crisin & coctionem, quasi in rerum naturâ nullibi existerent, id solummodo intendentes, ut nomen medicamenti expugnaret nomen morbi; sed hæc per transennam, docuit posterior & accuratior observatio, - a tempore Hippocratis, in hunc, quo hæc recito diem, nihil alicujus momenti, additum fuisse doctrinæ Hippocratis in hoc & similibus morbis; quam enim fidelis sit morbi hujus historia, quam certa prognosis, quam tuta cura, & naturæ vel genio morbi appropriata, is solummodo videbit, qui præeunte & confirmante experientiâ, rerum omnium doctrinâ, intimam hujus morbi naturam, causam, exitusque varios animo volvat.

Nihil itaque metuo, cur hanc methodum non sequere, nihil video rationis, cur sicut prognosis, sic cura non liceret esse plane Hippocratica, sed econtra hanc tanquam tutissimam hic proponere audeo, donec quis exitu bono, nunquam fallaci, orbi erudito demonstraverit, methodum hanc esse perversam, & sibi notam aliam, plane infallibilem.

Secutus igitur scolam veterem, resolventia hic sint blanda salia, in alcali putridum non facile transeunda, qualia sunt, borax, nitrum, &c. quod eo melius est, si arte chemica solummodo depuratum adhibetur, commendatur quoque ab Hippocrate mel, & similes sapones blandi, naturales, ad acidum vergentes: sic tamarindorum pulpa, &c. artificiales sunt syrupi ex vegetabilibus præparati v. gr.

℞. Hordei integri vel avenæ ℥ij. Decoq: in s. q. aquæ s: A: colatur: ℥xx, Adde rob. sambuci vel ribesiorum, vel pulpam tamarindorum ℥ij. vel ℥ijß. vel iij, nitri solâ depuratione præparati ʒiß. vel ij. sumat hujus quantum lubet, sed calide, paucâ copiâ sæpe repetitâ: si consideremus hujus medicamenti usum & vires, hic habemus aquam, summum illud & maximum in morbis acutis solamen, & fere panacæam, per omnia corporis penetralia intima vagantem, non lædentem, libere exeuntem, omnem sanguinis acrimoniam cui miscibilis est, abluentem, & per vias excretionis abripientem, admiscetur ei farinaceum gluten, ut plus sanguini inhæreat. Si tunc parvâ copiâ simul sumatur, ex arte sanguini miscibilis reddatur, nihil in rerum natura existit melius.

Habemus hic nitrum, optimum illud corpus salinum quod sitim non excitat, dissolvit tamen humores & deobstruit vasa, inflammationem nullam auget; habetur hic sapo naturalis vel artificialis & naturalis simul,

ſed non alcalicus, at vero blandiſſime acidus, cujus ope, id quod ab aqua non attingi poteſt, ei miſcibile redditur, & ſic quoque reſolvi poteſt; hoc itaque erit cibus & potus, & remedium, vario modo, quoad conſiſtentiam saporemque mutandum, pro variâ ætate, temperie, ægro, & ſexu, & conſuetudine ægri: medicamenta reliqua hic titulo attenuantium & aperientium poſſunt ſumi ex radicibus graminis, chinæ, ſarſaparillæ, & 5 aperientibus majoribus: ſeminibus bardanæ, petroſelini, dauci: ex floribus, ſambuci, meliloti: ex herbis, lactucæ omnibus ſpeciebus, endiviæ omnibus ſpeciebus, & cichoreo, & ſimilibus.

Sic v: gr: ℞. radic: aſparagi, apii, fœniculi, āā ℥j.
Herbæ lactuc: endiv: rec. āā m ij.
Sem: bardan: dauci: āā ℥i.
Flor: ſambuci, meliloti: āā pug: ij.
Coq: ex q: ſ: aquæ, colatur: ℥xij.
Adde ſyrup: acetoſitatis citri, ℥i.

Nitri puriſſ: ʒj, potat item de hoc uti præſcriptum eſt, externa autem medicamenta ſint fotus molliſſimi, ex radicibus altheæ, malvæ, herbis brancæ urſinæ, parietariæ, mercurialis: floribus meliloti, roſar, ſeminibus papaveris albi, avenæ & hordei, quæ poſſunt coqui vel in lacte, vel in aqua, vel anatice, & ope pannorum lineorum vel veſicæ incluſa apponi calida loco affecto, & calida ſervari ope mantiliorum calefactorum aſſiduo, vel laterum calefactorum, ſic v: gr:

℞. Rad. malvæ, altheæ. āā ℥ß.
Herb: verbaſci, parietar, āā mj.
Sem: lactuc, papav. alb: āā ʒvi.
- - Avenæ - - - - - ʒi.
Flor: altheæ, lilior. albor, āā pug. ij.

decoq. ex aquæ q. ſ. ſ. A. colaturæ immergantur panni, & loco applicentur, & calidi teneantur, & continuo hoc fomentum humidum ſervetur, per ſpongias exprimendo novum humorem, ſic naturâ duce, adjutore Medico, ſolvitur facile primus hujus morbi gradus.

Hinc patet ad reſolutionem hujus obſtructionis, non requiri gummata reſinoſa (quamvis in nothâ non ſint inutilia plane,) titulo hoc licet adeo commendata, & aliquando exitu comprobata, periculo

enim

enim ſunt pleniſſima, & ſæpe dolorem, & reliqua ſymptomata adeo augent, ut ægro impoſſibile ſit, amplius ferre, quale nuper nobile vidi exemplum pleuritici, qui hiſce impoſitis, quam maxime de dolore continuo aucto conquerebatur, maxime vero remiſſo, quando monitu hæc abjiciebat, & lac cum reliquis veſicæ incluſum imponi jubebat: curatur pleuritis per excretionem mali, ſi ope excretionum commodarum liberetur æger morbo, vel poſt bonam coctionem materia morbi critice expellatur, in hunc vel illum locum vel extra corpus. Vetus & diu tritum apud Medicos & Phyſicos fuit axioma, ſublata cauſa tollitur effectus; morbus vero eſt effectus alicujus cauſæ, quæ ſi tollitur, morbum non amplius relinquit, docuit autem Hippocrates in morbis vulgaribus libro 2. ſect: vij. aph. xxviij. hæmorrhoides ſuppreſſæ nonnunquam excitant peripneumoniam, & pleuritidem, hæc autem mala non prodibunt quam diu libere fluunt, ſanabuntur autem illa dum ritu naturali fluere incipiunt, hinc ſi Medicus ex enumeratione claſſis cauſarum apud ægrum invenerit, ſuppreſſas hæmorrhoides ipſi tale malum excitaſſe, nonne plurima ipſi ſpes curæ erit, ſi poſſit huncce fluxum ſatis liberaliter excitare, præcipue in morbi principio? at vero longe tutius Medico hanc methodum proſequi licet, ſi videat ægrum ſuum, fluxui huic obnoxium, jam vero ſuppreſſum hunc fluxum ipſi cauſaſſe hunc morbum, nonne tunc aureum illud Hippocratis monitum maxime obſervandum, natura quo vergit eſt ducenda, quare criſis hæc bona, a Medico, arte & auxilio adjuvetur, & facilitetur: applicabit igitur his partibus fotus molles, ex lacte dulci, cruſtâ panis albi lacte ebriâ, vel fomento præſcripto, vel fricentur partes foliis ficus, vel applicentur hirudines, de quibus videantur authores.

Idem continget fere & obſervandum eſt in fluxu menſtruo & hæmorrhagia larga narium, juxta Hippocratem coactis prænotionibus Sectione ij. aphor: 150. ſi adfuerit cervicis dolor, temporum gravitas, oculorum tenebricoſa caligo, præcordiorum contentio ſine doloris ſenſu, invitis lachrymis ſine lethali ſigno alio, rubore faciei & pruritu narium: ex his ſignis futura videtur narium hæmorrhagia, hinc fovendæ nares mollibus aquoſis, oleoſis, ut laxentur vaſa, ſanguis tanto melius profluat, nec ſiſtendus niſi neceſſitate cogente, eſt enim loco V. S., ſed melior.

Solvitur pleuritis quoque critice, quoties urina copioſa craſſa, lævis cum ſedimento ervo ſimili, juxta Hippocratem de victu in acutis, tunc

danda

danda ex urinam moventibus quæ non calefaciunt, juxta Hipp. de morbis libro 2. iila autem petuntur ex classe blandorum diureticorum, qualia sunt radices apii, petroselini, graminis, asparagi, fæniculi, folia urticæ, petroselini, Eupatorii aquatici, sem. fœniculi, violar. saxifrag. malvæ, baccæ juniperi, sambuci, nuclei persicorum, amygdalæ amaræ, succus citri, limoniorum, vin. mosellanum, rhenanum &c. quæ si sufficienti copia Aquæ incoquuntur, commodissime, diuresin excitando materiam morbi hac viâ educunt, maxime si determinentur ad renes, quod fit, si renes laxentur per mollia & blandissima fomenta, quæ ante proposui lumbis & perinæo imposita, deinde injiciantur ex eadem materia emolliente clysmata, diuque retineantur, intus ad renes fit quoque fomentum, minuitur resistentia, sicque urina liberior excernitur, non autem ex his metuendus alvi fluxus cum aquosa ad duiresin, exhibita, intestina crassa non intrent & cum multo major ad renes sit determinatio, sed ut eo fortior illa determinatio sit, impedienda est alia quæcunque humorum excretio, unde perspiratio & sudor impedienda sunt, hæc ratio cur aër paulo frigidior corpori tunc applicandus.

Solvitur pleuritis quoque critice si alvus emittat materiam flavam, biliosam ante quartum diem, copiose cum levamine, juxta Hippocratem in coacis prænotionibus sect. 2. aphor: 386. in laterali affectis alvum emollire utile est, & libro 2. de morbis, primis quatuor aut 5 diebus paulo magis alvum subducere oportet, quo febres retundantur & dolores minuantur, & de ratione victus in acutis, si lateris dolore adhuc continuo, neque ad calida fomenta remittente, sputoque minime prodeunte, verum citra coctionem extreme glutinoso reddito, quis dolorem ventre mollito non solverit præcipites eos in mortem ducit, & ibidem si angina aut alius lateris morbus ægrum divexarit, medicamentis quæ delinguntur repurgato, si vero detracto sanguine copioso æger debilior videatur, infusum alvi per clysterem 3 quoque die exhibebis.

Patet igitur ex Medicorum Principe, totius fere nostræ artis basi & fundamento, præcipue in his morbis, licere alvum fluere, cum spe criseos bonæ & salutis, observatis præcedentibus, quamvis (in alio tamen casu), videatur obesse aphorismus 16. sect. vi. quod idem affirmat præstantissimus author Græcus (post Hippocratem) Aretæus Cappadox de ventre bilioso, in ejus descriptione pleuritidis; præeuns igitur natura rursus est ducenda quo vergit, artis auxilio per medicamenta alvum laxantia, emollientia dicta Hippocrati, qualia nobis tali in casu

exhibet

exhibet Sennertus, tamarindos, cassiam, mannam, syrupum rosarum & similia quæ sunt blanda acida, vegetabilia saponacea, quæ etiam præscriptis medicamentis admisceri possunt, ad unam duodecimam, sicque victus laxans habebitur totum abdomen foveatur fomentis ex præscriptis decoctis emollientibus; injiciantur clysmata emollientia non stimulantia acria, qualia parantur ex decoctis herbis emollientibus in lacte vel aqua, sero lactis &c. addita pulpa tamarindorum ad ℥i. vel ℥iß. ad ℥xij. decocti, & nitri ʒj. m. f. clysma.

Solvitur sputo pleuritis, & adeo quidem commendatur hæc evacuatio, ut in pleuritide primas obtineat coctionis & cruditatis, juxta aphor. xij. sect. j. in pleuritide si sputum statim appareat in initio, intra tertium diem brevem morbum indicat, sin vero posterius, longum, & prænotionibus coacis sect. ij. aph. 385. sputum quodcunque dolorem solvit, bonum est ib. aph. 391. item aph. 393. sputum ex spuere prompte, bonum est. Si 3 die extussiat lævia, æqualia, humida rotunda, 7 die liberantur juxta Aretæum Cappadocem.

Adeo ut sputum judicetur bonum Criticumque, a tempore, modo excreandi, qualitate & effectu, quæ si præcedentibus congruant, spem adferunt Medico, huic viæ natura præeunte, debere cum successu insistere, emollienda itaque sunt vasa per quæ excretio fiere debet, depuranda, & leniter stimulanda, evitatis omnibus reliquis quibuscunque excretionibus, quare ingerenda sunt blanda, mollia, qualia superioribus casibus præscripsi, malva, branca ursina, verbascum, violaria, his adduntur lenia stimulantia, agrimonia, taraxacum, detergentia, glyceryzæ radix & succus, & mel, juxta Hippocratem &c. Si ex his fiat decoctum, assiduo sed pauca copia calide sumatur, fiet materies humida, mollis, lubrica, vasa fient laxa glabra & interim leniter se contrahentia, unde multo facilior fit hæcce excretio, præcipue si adhibeantur vapores, hujusmodi per tubum in asperam arteriam attrahendi, reliqua videantur in Hippocrate, ubi agit de facili excretione sputi.

Hæcce methodus est, qua natura sæpe cum pauco vel nullo artis auxilio sanat & evincit hunc morbum adeo perniciosum, vel solo nonime, ex eo quod tot hominum millia hac clade intereunt, quæque si rite prosequatur ab artis perito, bona satis reperietur.

Verum enim vero horum omnium nihil si compareat, sed respiratio sit admodum difficilis, sputum non prodeat, tussis molestissima, arida sit, dolor sit acutissimus, fixus, pungens, febris acutissima ardens, pulsus durus, celerrimus, (nisi impediatur ob retentam animam,) in homine satis forti, temperamento sanguineo, ætatis flore, tunc nulla spes ex molimine naturæ exoptanda, sed accuratissime secum consideret Medicus naturam plus occidere, quam morbum vincere posse; hinc arte, sine ullo alio morbo

ſanatur ſequenti modo.

Venæ ſectio fiat cita, magna, ante diem tertium, celeris fluxu accelerato, ex magna vena, per vulnus ingens, corpore ſupino quieſcente, aucta reſpiratione, tuſſi, & ſuſpiriis; locus affectus interim eo tempore foveatur, & leniter per fricetur, ad ℥x. ſecundum Sydenhamium, vel ad leve animi incipiens deliquium vel magnam & notabilem doloris remiſſionem; ea V.S. ſi dolor redeuns vehementer augeatur, eodem die repetenda ad ℥x. & die ſequenti, & 3. & 4. (niſi æger prius convaluerit) ſi dolor & alia ſymptomata vehementer ingruant: at vero ſi vel remiſſior ſit morbus, & patiatur ut lentiore pede progredi poſſit, vel dejectæ ægri vires facile non ferant V: Sectionem poſt tam brevia intervalla repetitam, tunc non repetenda eſt V.S. bis celebrata, niſi interjecto uno aut altero die, inter ſingulas vices, conſiderata morbi violentiâ & ægri viribus; quamvis accurata pleuritis, prout obſervarunt accuratiſſimi Medici, non ſanetur facile per ſolam artem, niſi poſt eductionem ℥xxxx. ſanguinis in adultis, ubi tamen bis, aut ſemel ſecaſſe venam pueris ſufficit.

Quid igitur juvat V. S., ope cujus ℥iv. vel vi ſanguinis educuntur? eſt ſane damnoſa, experimentis contraria, ſemper occidens, niſi morbus fuerit per ſe ſponte ſanabilis, nullum enim dolorem vel ad minimum gradum minuit, febrem neutiquam minuit dum ſanguis fluit, ſed contra ſtatim auget, prout caſui adfui tenens ægri arteriam, ubi hæc fuere quam veriſſima, nolentibus amicis & chirurgo, (quamvis annuente ægro) plus quam ℥v. circiter educere, quamvis monerem Chirurgum & amicos, nihil potius faceret quam videndo aliquid efficere, ægrum in mortem certiſſimam & citiſſimam incidere fieret quod idem exitus comprobavit, quam ſine dubio præcavere potuiſſet, ſi hac methodo uſus fuiſſet, & quod magis hanc praxin confirmat, nihil plus optavit patiens, quam quod Chirurgus (quem timiditatis accuſabat) me monente, plus ſanguinis ſibi non eduxerat: monui interim ſibi præſcriptam methodum applicari curaret vel (quamvis præmonerem nullum adhuc ſignum læthale adeſſe), alias certam mortem ſibi exſpectandam eſſe, ad minimum ſuppuratum futurum eſſe latus affectum, unde vel ſuffocaretur ilico pure effluente, quod quoque poſt dies aliquot contigit, vel ſurſum per ſputum evacuaretur, vel tabe longâ periret, vel unicam difficilem tamen ſpem eſſe, ſi pus extrorſum ex pectoris cavitate educi poſſet, ſicque ægrum liberaret.

Hinc diſcimus, cur larga narium hæmorrhagia Hippocrati habeatur tam bona, ſanguinis ex naribus ſtillatio adeo pronuncietur læthalis.

Statim poſt V. S. applicentur fomenta laxantia, qualia plurima antea exhibui; unguenta laxantia, quamvis non adeo bona hic quoque conveniunt v: gr: ℞. ol: amygd: dulc: ℥ij.

unguenti

unguenti pomati dialtheæ āā ℥j. m: f: ung.

medicamenta interna ſunt aquoſa diluentia, humectantia, emollientia, reſolventia, detergentia, qualia antea exhibui.

Vitentur in diætâ carnes & juſcula earum, ſed ſumat juſcula hordeacea, in potu ptiſanam, eum in finem ut putredini reſiſtant.

Æger non nimis æſtuet, ſed liberum ei ſit, ut lecto quotidie eximatur, ad aliquot horas prout vires ferunt, alias enim nec larga V. S. nec alia remedia æſtum temperare poſſunt.

Ex his patet, pleuritidem per ſe non ſanabilem, artis tamen ope ſupetandam, tuto non tractari poſſe, nec ſanari, niſi largâ, & cæteroquin evitanda ſanguinis miſſione, in quâ una, ſola tunc ſpes curæ & vitæ exſpectatur, quidquid obclament, qui hanc methodum ex ſchola Medicorum expungere ſuis ſcriptis ſatis acutis, ſummis viribus conantur, an autem V. S. ſanguinem educens, demit homini vitæ fontem, nunquam poſtea recuperandum? an ſanguis eſt pars corporis ſolida, quæ ſemel ablata renaſcitur nunquam?

An ſanguine Venâ educto, neceſſario debet ſequi cachexia; hincque loco mortis celeris, miſera & languida vita ex S. M. exſpectanda? an Medicus accuſandus homicidii, qui ægro ſub prætextu curæ ſtamina & primordia vitæ demit?

Si conſideremus hominem exſanguem (ut ita loquar) morbis acutis non opprimi, nec interire facile.

Si conſideremus morbos acutiſſimos certiſſimo abire ſuâ naturâ & tendere in mortem, ſed plurimam ſpem fuiſſe ſemper ab Hippocrate notatam in ſanguinis largâ excretione (non vero exſtillatione) ſive per nares vel per alias quaſcunque vias accommodatâs, quod quoque verum prædixit de quorum cunque humorum larga excretione.

Si conſideremus, homines ad necem fere omnem ſanguinem amiſiſſe, ſive hæmorrhagiâ ſpontaneâ, ſive ex vulnere, poſtea tamen fuiſſe plane reſtitutos ſaniſſimos, & quam maxime alacres.

Si conſideremus, (quod in inſtitutionibus Medicis demonſtratur) ex cibis fieri chylum, & ex chylo ſanguinem.

Si conſideremus, cachexiam ab ſanguinis inopiâ non fieri, niſi per errorem, dum homo plus aſſumit quam concoquere poteſt, nonne objectiones priores evaneſcunt? & Medicum audaciorem reddunt, qui tuto, & ex artis dictamine hanc methodum ſequatur? puto imo: ut autem magis confirmetur hæcce praxis, remitto L. H. ad authores Medicos prudentes, & fideles obſervatores, nullo partium ſtudio addictos, ſed ſolâ obſervatione doctos, ubi reperietur hæc methodus ſemper comprobata, & quamvis ſæpe nonnullis jactatoribus fuerit rejecta, poſtea tamen ſemper iterum reaſſumpta,

ſpretis quibuscunque remediis antipleuriticis dictis, quippe quibus nulla certa fides adhibenda, nec ulla cura adſcribenda in hoc caſu: Quamvis plurimi, quid boni a S. M. exſpectandum ſit, non aſſecuti fuerint, ignorantes ſcilicet ſanguinis circulum, non tamen omnino aberrarunt à ſcopo dum alii, id ſanguinis cacochymici emendandi, alii obſtructionis reſerandæ gratiâ efficere conati ſunt, modo rite mens eorum explicetur: ut autem ratio pateat, cur ab optimis Medicis larga adeo miſſio ſanguinis, inſtituatur, hæc ſequentia profero ex morbi Theoriâ ſumpta, & unicuique œconomiæ animalis gnaro conſideranda offero, ſuppuratio, peripneumonia, phrenitis, gangræna & ſphacelus ſequuntur a ſolo ſanguinis impetu & cacochymiâ, circulo ſanguinis, aucta: ſanguinis vero circulus non tutius minuitur & citius in hoc caſu quam V. S. ergo præcaveri una poſſunt hæc omnia mala, ſi non læthalia ſaltem ſummo periculo plena.

Sanguinis circulus adeo in pleuritide accuratâ augetur, quia continuo creſcit proportio ſanguinis reſpectu vaſorum, nihil autem tutius & citius illam proportionem reſtituit, quam ſanguinis imminutio, quod non fit tutius (ſi ex arte) quam per V. S. ergo.

Sanguinis circulus, continuo auctus per vim morbi, erat cauſa doloris, caloris ſummi, & reliquorum effectuum adeo damnandorum, ſublatâ ergo ſanguinis circuli vehementiâ & celeritate, tolluntur quoque omnes illi effectus, ſed id optime fit per V. S. ergo.

V. S. dat locum ut novi humores blandi in corpus ingerantur, & remedia in uſum revocentur commoda, & ſic ſpem dat curæ tutæ ſine metu ſubſecuturorum reliquorum effectuum. nonne id a Medico probo exoptatur?

In pleuritide epidemica, plurima ſpes curæ innoteſcet, ſi ex conſuetudine illius anni noſcatur morbi indoles, & inveniatur antidoton veneni in aëre ſparſi, quod ſi non ſuccedit, tentanda eſt præcedens cura in omnibus; ubi notandum tamen, ſæpe multa in his caſibus præſtitiſſe ſpiritus acidos artificiales, v. gr. ſp. vitrioli, ſp. nitri &c. ſi præſcriptis decoctis admiſceantur ad lenem aciditatem, plurima autem eorum virtus eſt, inhibere ſummam putredinem, adeoque gangrænam læthalem.

Pleuritis ſympathica curatur ex cognitione morbi, cujus eſt effectus.

Hæc ſunt Humaniſſime Lector, quæ de primo hujus morbi ſtatu, ex authoribus deſcripta proponere auſus fui, ſperans neminem male laturum quod quædam inveniantur, quæ forte ſibi minus placent, gnarum impoſſibile plane eſſe unicuique ſatisfacere, ſed hæc nonnullis probata, aliis ſummopere culpata haberi; ſequerentur jam ex ordine alii hujus morbi exitus, ſupra per tranſennam memorati, ſed brevitati ſtudens, & contentus eo, quod ſatis fecerim ſcopo, quem mihi propoſui, remitto lectorem ad authores, huicque diſſertationi impono

F I N E M.